

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Promptuarium allegoriarum sacrarum praecipua fidei christianae capita illustrantium: indice quadruplici instructum post editiones 5 revisum, iam septimo recusum**

**Botsack, Johann**

**Francofurti ad Moenum, 1678**

Caput XIX. De sacra coena domini

[urn:nbn:de:bsz:31-142795](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-142795)

& sepulchro, igni amoris inexhausti combustus est, quando pro nobis baptizatus.



## CAPUT XIX.

DE

SACRA COENA  
DOMINI.

CHRISTUS ARBOR VITÆ.

1406. Gen.2.v.9. *Arborem vite in medio paradisi posuit Deus.*

2. Christus vera arbor, cui nos inferti, Rom.11.v.24. ut palmites, Joh.15.v.4. sub cujus umbraculis tuti quiescimus, Psal.91.v.1. ut viatores fessi, Gen.18.v.4. Hæc arbor reficit, Matth.11.v.28. Esa.40.vers.29. Arbor vitæ est, & spiritualis in hac vita, ipsi enim vivimus, Galat.2.vers.20. Philip.1.vers.21. quia vivificati ab eo, Ephes.2.v.5. 1.Tim.6.v.13. & in altera æternæ, Apocalips.2.v.7. cap.22.v.14. Ipse enim vivit, & nos vivemus, Joh.14.v.19.

2. Hanc vitæ arborem posuit Deus in paradiso ecclesiæ, ut ex ea comedamus, & humorem ejus imbibamus, qui sanguis Domini, Hujus caro VERE cibus, sanguisque potus, Joh.6.v.56.

FRUMENTUM ET VINUM  
spirituale.

1407. *Isaac Jacobo benedicens ajebat, Gen.17.v.37. Vino & frumento prospexi ei. Magnum hoc beneficium!*

cium! Majus cœlestis nostri Isaaci Christi, qui nobis risum & lætitiã reddidit, nos captivos liberans. Psal. 126. v.1. quique benedicturus nobis, Eph. 1. v.3. Gal. 3. prospexit nobis spiritali corporis sui frumento, illo electorum, Zach. 9. v.17. quod cecidit in terram propter nos, Johan. 12. v.24. quod in corde nostro gustamus, *substantialiter nobis exhibitum sub simbolo panis verè vitæ panis. Vino nobis prospexit sanctissimi sanguinis, quo anima nostra lætificantur, inebriantur, dulcedinem misericordiæ Domini.*

## LAC &amp; MEL.

1408. Exod. 3. v.8. *Liberatis ex Ægypto Israelitis Deus dedit terram fluentem lacte & melle. Liberatis nobis ex Ægypto infernali, Deus terram lacte & melle spiritali, mel est corpus Domini quod comedentes, mortisque memoriam Dominicæ nobis refricantes miram dulcedinem experimur, amoris desiderii ad Deum, qui nos tantopere dilexit. Sanguis Christi purissimum lac est, quo enutrimur ad vitam æternam.*

VERUS PANIS PROPOSITIO-  
NUM.

1409. Exod. 25. v.30. *Panis propositionis semper coram Domino ponendus erat. Salomo eundem apparavit, 2. Paral. 4. v.19.*

1. Ita Christus templum ecclesiæ suæ exornaturus, major Salomone, panes propositionis apparavit, h. e. corpus suum in sacrâ cœna.

2. Panibus propositionis thus purum imponebatur, Lev. 24, 7. Ita Christus precum suarum thus adoluit,

Ss 4

fœdus

foedus illud novum in sanguine suo instituens. Nostrum quoque est, thus gratiarum actionis Deo offerre; pane hoc eucharistico utentes. Ignem thus conjiciendum, Lev. 24. v. 8. Ita corda nostra igni dilectionis inflammanda, 1. Joh. 4. v. 19.

2. *In memoriale erant panes propositionis.* Panis facer corporis Domini nobis quoque sit in memoriale:

1. Nostræ liberationis ex spirituali Ægypto Ex. 12. vers. 14. hoc est, inferno & potestate tenebrarum, Coloss. 1. vers. 13.

2. Infernalium Amalekitarum oppressionis per verum Josuam nostrum, Exod. 19. v. 14. allegoricè.

3. Nostræ reconciliationis, quodque salvator noster nomina nostra in cœlo scripserit, Luc. 10. v. 20.

4. Per fluvium divini iudicii transgressionis, Jos. 4. vers. 7.

5. Spiritualis lætificationis, Osee 14. vers. 8. Conf. 2. Tim. 2. v. 7.

6. Ex aquis damnationis, ereptionis, ut Genes. 8. vers. 1.

7. Non obliviscamur cœlestis nostri Josephi, qui nos adhuc existentes in carcere hujus vitæ, tam grato liberationis & vitæ nuncio beat, porrecto suo ipsius corpore, sanguine. Applic. Allegor. ex Gen. 40. v. 13.

## S. COENA CUM MANNA

comparatur. *vid: Acta: in A. C.*

1. *Ratione temporis.* Manna nocte descendebat: ita nocte proditiōnis, Manna cœnæ.

2. *Durationis.* Quadraginta annis peregrinationis

nis in deserto, Israelitæ Manna comederunt, Exod. 16. v. 35. Ita spiritali Manna, Christo, vesci debemus toto vita tempore. In æterna autem vita absconditam mannam accipiemus, Apoc. 2. v. 17.

3. *Nominis.* Manna significat donum, munus; Christus est verum munus, Joh. 3. v. 16. multa secum ferens munera; Vide Rom. 5. v. 15. cap. 6. v. 23. Eph. 2. v. 8. cap. 4. v. 8.

4. *Inventionis.* In castris tantum Hebræorum inveniebatur: Ita nullibi Christus ejusque cœna, nisi in ecclesia invenitur.

5. *Adjuncti rosis.* Exod. 16. v. 14. Ita cum cœlesti Manna nostro Christo, ros divinæ gratiæ descendit, Hos. 6. v. 4. divinæ misericordiæ.

6. *Synonymias.* Manna dicitur etiam panis angelorum Ps. 78. v. 25. Ps. 105. v. 40. Christus verè panis angelorum, quia à respicientibus peccatoribus comeditur, quorum lachrymæ angelorum vina sunt, Luc. 15. v. 7. Panis quoque angelorum est, quia hi mysteriorum evangelicorum contemplatione, velut cibo, delectantur, 1. Petr. 1. v. 12.

7. *Coloris.* Manna candidum fuit. Exod. 16. vers. 31. Christus, cibus in cœna, candidus est innocentia, quam nobis applicat, & peccata nostra nive candidiora facit, Ps. 51. El. 1. v. 18.

8. *Saporis.* Gustus ejus, quasi similæ cum melle, Exod. 16. v. 31. Ita cœnæ sacræ cibus, corpus & sanguis Domini, animæ contractæ saporem, melle quovis dulciorem afferunt.

PANIS COR. ROBORANS, PANIS  
baculus.

Ss 5

1411.

1411. Pl. 104. v. 15. *Panis cor hominis confirmat.*

1. Verus panis *cor confirmans*, Christus est, de cælo descendens, Joh. 6. v. 38. & vitæ, nutriens in vitam æternam, v. 48. quem qui comedit, non esuriet, v. 51.

2. Hic est panis *cor corroborans*, quod alias ærumnosum est, Jer. 17. v. 9. Si cor nostrum nos condemnat, 1. Joh. 3. v. 20. panis confirmans cor Christus est, in quo cum simus, nulla condemnatio in nobis locum habere potest, Rom. 8. v. 1. Cum cor nostrum aret: Psal. 102. v. 5. panis hic reficit nos. Est verus panis baculus, quo sustentamur peregrinantes, ne deficiamus.

TOTUS CHRISTUS à QUOLIBET  
accipitur in cena.

1412. *Israelitæ ad mensuram Gomer manna colligebant, & qui plus colligerant, non tamen plus inveniabant*, Exod. 16. v. 18. Sic in sacra cæna quisquis Gomer suum accipit, hoc est, totum Christum, sive pius sive impius, 1. Cor. 11, 29.

COENA CONFORTAT.

1413. *Jonathan mel comedit & vires recepit*, 1. Samuel. 14. v. 27.

1. *Mel verum* Christus est, quo comesto robur nostrum accipimus, cum fiducia augetur & confirmatur per verbum visibile sacramenti, maxime cum pugna nobis spiritualibus fuit, ita demum sapiet nobis hoc cœleste mel.

2. Mellis operationis medicæ huc quoque applicatu faciles. Mel hoc cœleste habet virtutem:

1. *Abstergendi noxios peccati humores, Hic sanguis in remissionem peccatorum.*

2. *Ob*

2. *Obstructos spiritus meatus aperiendi*: Spiritua-  
lis ejusmodi obstructio fit in angoribus conscientiae,  
quos S. Domini coena tollit.

3. *Ulcera emolliendi conscientiae*, de quibus Ps. 38.

4. *Divulsas partes agglutinandi*: comestum enim  
mel coeleste Christus nos & patrem conglutinat, à quo  
per peccatum disjuncti eramus, Esa. 59. v. 2. Imò pro-  
ximum nobis agglutinare debet, sicut canit ecclesia:  
*Die Frucht sol auch nicht ausbleiben / deinen Näch-  
sten solt du lieben.* ex Cant. D. Hussi.

5. Mel iis prodest, quos serpentes momorderunt:  
Omnes morfi sumus: Per se omnibus proderit mel  
Christus: Si oberit, ex te est.

6. In Sardinia *amarum mel* reperire est, quod ab-  
sinthio vescantur apes: Nostrium mel nostris ecclesiis  
non est amarum. Amarum fit, si *rationis humane absin-  
thium* admiscueris, ponticum mel fit, quod homines  
edentes de mentis statu dimovet: Autor Dioscor. lib.  
2. cap. 103. p. 196. Hoc ne tibi accidat, non discedas à  
verborum Christi mente.

### COENA DOMINI ADULTIS

porrigenda.

1414. Genes. 21. v. 8. *Convivium fecit Abraham in  
ablactatione Isaaci.* Deus Pater est verus Abrahamus,  
qui ablactatis filiis suis, jam adultis, convivium sacrae  
coenae instituit, suum ipsius filium & epulum san-  
ctissimum constituens. Probet igitur se homo, & sic manducet,

1. Cor. II, 28.

IN-

## INDIGNE MANDUCANTES

Corpus Christi.

1415. *Vermiculi in manna nascebantur*, Exod. 16. v. 20. *Ita impiis*, corpus Domini non dijudicantibus, cibus ille cœlestis in vermes commutatur, conscientiam perpetuò rosfuros, & exefuros, Esa. 66. v. 24. Ubi ignis & vermis divinæ vindictæ instrumenta erunt, Syr. 7. v. 19.

## IMPII COENAM IN JUDICIUM.

1416. Esther. 3. Haman & Esther simul invitati sunt ad convivium. Haman suspensus est: ita pii impique simul hospites sunt, *sorte tamen inæquali, vitæ vel imeritum*, ut canit vetus Hymnus Ecclesiæ.

## COENA DOMINI QUIBUS

salutatis.

1417. Num. 5. v. 22. *Aqua sancta adulteræ mulieri nocebat, non castæ, fidem conjugalem servanti*. Ita cœna Domini nocet adulteris animabus spiritualiter. Pii non item, quibus cibus est ad vitam.

## COENA DOMINI VERUS TERRÆ

promissæ cibus.

1418. *Israelita duce Josua in terram promissam ex deserto introducti, non amplius mannâ vescabantur, sed fructibus*, Jos. 5. v. 12. *ipsius terræ promissæ*.

1. *Desertum erat V. Testamentum*, sub umbris legis consolatione deficiente, in super Mose terrente.

2. *Mannâ vescabantur illic Israelita*.

3. *Verum duce Josua nostro Christo, in terram promissam N. Testamenti, introducti sumus, vescimur non mannâ, sed ipso terræ fructu, frumento vitæ, Christo ipso*.

VE-

## VERUS PANIS ET CARO VERA

verè datur.

1419. *Aaron & filii ipsius carnem cum panibus com-  
edeabant, Lev. 8. v. 31. Veri sacerdotes in Christo facti  
panem sanctæ Eucharistię, cum carne ipsa Salvatoris  
nostri comedimus, quam ipsemet coxit flammâ divini  
amoris in arbore crucis.*

CHRISTUS COENAM IN-  
stituens.

1420. *2. Sam. 6. v. 19. David arcam fœderis ad se  
transferens, panem, carnem, vinumque populo distribuit.  
Ita verus David Christus, panem & suam ipsius car-  
nem Christianis distribuit, simulque sanguinem sub  
vino.*

COENA DOMINI NOS  
confortat.

1421. *1. Reg. 19. v. 7. seq. Elias Jesabelem Acha-  
bumque fugiens, in desertum abiit, vitæ finem sollicitè expe-  
ctavit, quem angelus expergefactum monuit, ut pane  
tosto vesceretur, & aquam biberet. Quo factò, virtute  
illius cibi corroboratus, quadraginta dierum nocturnumque  
itinere ad montem Horeb contendit. Imago S. Cœnæ.*

1. Nos quoque Achabum, Satanam, mundi princi-  
pem & Jesabelem mundum fugere debemus, & in de-  
sertum. pœnitentiæ nos recipere. ( Vide, Pœnitentia  
est desertum ) anxie liberationem nostri, patriæ verè  
desideriò, expetere.

2. At Angelus Domini vel ipse Dominus lassos  
viâ mundi expergeficit nos, inquit: *Surge, ut illu-  
mineris, Eph. 5. v. 14.* monetque ut vescamur pane to-  
sto. Quis est hic, nisi Christus? tostus amore nostri,  
furoris

furoris paterni igni, flammis inferni. Aqua bibenda nobis est, hoc est, sanguis ipseus veræ animæ sitim sedans. Hujus cibi potionisque virtute iter vitæ nostræ feliciter absolvere possumus, & cœli montem contingere.

COENA DOMINI VERUM  
epulum.

1422. *Isaac Abimelecho fœderis socio, convivium fecit, eundem in pace dimisit, Gen. 26. v. 30.* Ita Christus nobiscum in sanguine suo fœdus pepigit, hoc est novum Testamentum: convivio nos excepit, & in pace, pasto, dimittit, cum jubet in sui commemorationem sanctissimò illò cibò vesci.

MAGNA CHRISTI IN COE-  
na liberalitas.

1423. *Epulum regium instruxerat Nabal, miserum Davidem illò non dignatus fuerat, 1. Sam. 25. v. 36.* Ex torres in hac mundi eremo vagabamur, sitientes justitiam, esurientes, inopes, Apoc. 3. v. 18. At Christus epulum regium instruxit, nos humanissimè invitans.

COENA EST EPULUM  
splendidum.

1424. *Esth. 1. v. 3.* *Splendidum epulum Abas verus instruxit, sumptuosum, diu durans, omnibus principibus suis: Christi epulum S. Coenæ longè sumptuosius est, ipseus corporis & sanguinis pretiositate, duratione, communitate.*

COENA DOMINI PRÆ-  
dicta.

1425. *Esa. 25. vers. 6.* *Faciet Dominus in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiae. Epuli describitur*

I. CAU-

1. *Causa efficiens*: is est Dominus exercituum.

2. *Objectum cui*, sunt omnes populi.

3. *Locus subjectus* est mons ecclesiæ.

4. *Adjuncta conditio*. 1. *Est pinguedo*. *Pingue epulum est*. 2. *Ob gratia divina ubertatem*, ejus facti participes, Roman. 11. vers. 1. 2. 3. *Nostri sacrificacionem*. Omnis pinguedo Domino offerebatur, Lev. 3. vers. 3. Ita nos gratia Dei impinguatos Deo offeramus, Roman. 12. vers. 1. 4. *Loci qualitatem*: Epulum enim hoc exhibetur in monte pingui ecclesiæ, Psal. 68. vers. 16.

5. *Materia ex qua, est* 1. *Vinum purum*, hoc est, vinum solatii, quod ex Christi vulneribus bibimus, refricando nobis mortis Dominicæ memoriam.

2. *Adeps* misericordiam Dei notare potest.

3. *Medulla*: ita gratia Dei dicitur:

1. *Ob generationem*: nam medulla generatur in cavitatibus ossium: Sic gratia Dei in humilitate mentium.

2. *Irrigationem ossium*: ita gratia Dei ossa contrita Psal. 51. irrigat, confortat.

3. *Nutritionem*. Medulla ex purissimis alimenti partibus nutritur: ita gratia Dei ex mentis devotione & affectibus.

4. *Mutationem*, quæ crescente aut decrescente luna, quandoque crescens, ad solem justitiæ accedens, nonnunquam decrescens, ab eodem recedens, & sic gratiæ divinæ medulla crescit, decrescit.

4. *Vinum sine fece*. 1. *Ob ira divina negationem*, quam feces significare solent, Esa. 51. v. 17, Ezech. 13. Psal. 75. v. 2.

2. *Ob*

2. *Ob renovationem*: Feces enim malitiæ deponere debemus, non requiescere in iis, ut Jerem. 48. vers. 11. Soph. 1. v. 12. si digni hospites tanti esse volumus epuli.

### COENA EST CONVIVIUM.

1426. Tob. 7. v. 17. *Raguel Tobia juniore, ducenti filiam Saram, convivium lautum fecit.* Raguel verus Deus est.

1. *Ob nomen*: significat enim pastorem Dei: Verus autem animarum nostrarum pastor Deus est.

2. *Ob convivium*, quod fecit Tobia juniore: ita Deus pater, filio Tobia, Ecclesiam Saram ducenti, lautum convivium cœnæ apparavit, constituendo eundem Nov. Testamenti autorem, non sanguine typico, Exod. 24. v. 8. sed suo ipse.

### COENÆ TYPUS IN JOSEPHO.

1427. *Josephus cibaria colligit, quibus tempore famis Ægyptum sustentat, Gen. 41. v. 35.* Cum nos urget spiritualis fames, in cœna Christi Josephi nostri, sacra nobis reposita sunt cibaria, quæ ipse ultro nobis offert, gratis. Es. 55. v. 1. 2.

### IN COENA PANIS ET vinum.

1428. Gen. 14. v. 18. *Melchisedech Rex Salem proferens panem & vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit ei & ait: Benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit cælum & terram.*

1. *Verus Melchisedech* Christus est, (Vide locum de persona Christi.) qui panem & vinum obtulit, corpus & sanguinem suum, non Abrahamo, qui gestiit videre diem Jesu Christi, & vidit fidei certitudine, Johan. 8. sed Abrahami filiis, credentibus scilicet, Galat. 3. v. 7.

2. Cor.

2. *Corpus vere est panis noster; sanguis vere vinum lactificans, expressum torculari passionis, ad nostri lactificationem.*

3. *Sacerdos Dei altissimi Christus, Ps. 110. v. 4.*

4. *Melchisedech benedixit Abrahamo, d. I. Nobis Christus maximè benedixit, quando benedictionis illa organa vividissima nobis porrexit, quæ si quis tetigit, sanatus fuit. Ille est semen benedictum, Gen. 12. v. 3. Qui semen habet benedictionis, ille totam benedictionis plantam habet: Ergo benedicti sumus in cœlestibus, Eph. 1. v. 3. cap. 2. vers. 6. Nulla ei est maledictio, cui ob remissam culpam mera est benedictio, Galat. 3. vers. 13. 14.*

5. *Abrahamo reduci oblatus panis & vinum est; Nobis reducibus, postquam scilicet, ut Abraham, hostes spirituales, peccatum & Satanam, devicimus per bellum pœnitentiæ; in mensa cœnæ panis & vinum illud offertur, quorum beneficio vires colligimus reficimusque. Offertur autem ad comedendum, non ad theatricam Missæ pompam stabiliendum; Nec pro hoc quicquam est in textu Mosis, ut nonnulli Pontificii testantur, ipso Pererio in h. l. Mosis teste.*

## SANCTÆ COENÆ DONA

eximia,

1429. 2. Sam. 12. v. 3. *Pauper nihil habebat omnino præter ovem unam parvulam, quam emerat & nutritur, & que creverat, apud eum cum filiis ejus simul, de pane ejus comedens, & de calice ejus bibens, & in sinu ejus dormiens, eratq; illi sicut filia.*

1. *Pauper ille Christus est, qui cum dives esset, nostri causa pauper factus est, 2. Cor. 8. v. 9. nostri causam sibi visus, utpote, qui tanquam pauper quidam vir in mundi desertum venit, ut nos perditas oves quæ*

T s

1429

reret, Luc. 15. v. 4. nostri causa velut pauper factus, quando divitias suas misericordiae in nos largissime contulit.

2. *Oves empta* omnes sumus, sanguine scilicet Christi, agni illius immaculati, 1. Petr. 1. v. 19.

3. *Oves nutrita* sumus, lacte baptismi enutriti sumus; lacte Evangelii, 1. Cor. 3. v. 2.

4. *Oves in domo*, h. e. in Ecclesia, 1. Tim. 3. v. 5.

5. De pane autem comedimus ejus, quia panis cenae est communicatio corporis Domini, 1. Cor. 10. v. 16. Et de calice ejus bibimus ob eandem causam, loco eod. d. Apostoli.

6. Et ita *ὁμοιόητος* Christo adsociati, reconciliati, nutriti in *sinu ipsius* recumbimus, *sinu gratiae refectio- nis*, in quo nos molliter fovet ut mater filium aegrotum, 2. Reg. 4. v. 20. Nos ut filii Christi sumus, quos tanto dignatur hospitio: Imo fratres sumus, quos epulo reficit, ut Joseph suos.

### COENA DOMINI EST mensa.

1430. 2. Sam. 9. v. 7. seq. *Mephibosethus cibum capere jussus est in mensa regia Davidis. Tanta gratiae nuncium simulac audit Mephibosethus, indignum se putavit tanto beneficio, & canem se vocavit.* Mensa, quam nobis caelestis David Christus instruit, longe augustior est illa Davidis. Instruit nobis mensam

1. *Gratiae*, in qua non micas offert, sed solida misericordiae suae fercula, integra Spiritus sancti flumina. Nos impuros canes non abegit, sed blandissime invitavit, Matth. 11. v. 28. Es. 55. v. 1.

2. *Mensam Scripturae*, & verbi sui: Vide supr. c. 1. de Script. pag. 2. alleg. 2.

3. *Men-*

3. *Mensam glorie*, super quam olim cum illo comedemus. Luc. 22. v. 30.

4. Addit mensam hanc Eucharistiæ, in qua ipse suum corpus & sanguinem proposuit, hujus nos hospites fecit: *O Domine, non sumus digni, ut teclum nostrum subeas, nedum ut mensam apud nos instruas! At tamen, quia viscera miserationum tua tanta sunt, fac nos dignos hospites:*


Bone Jesu, pastor vere,

Tu nos pascere, nos tuere,

Tu nos bona fac videre,

In terra viventium! AMEN. Claudimus

voto ecclesiæ priscæ.



## CAPUT XX.

DE

## ECCLESIA.

## ARTICULUS I.

## DE VARIIS NOMINIBUS.

## ECCLESIA EST ARCA NOÆ.

1431. 1. *Ob animalium ab interitu præservationem:* Animalia in arca servabantur: Ita omnes, qui in Ecclesia sunt, servantur. Extra eam nemo.

2. *Specierum universalitatem:* Ita ex omni genere hominum Ecclesiam ingrediuntur; Non est Judæus, neque Græcus, non est mas neque foemina, Gal. 3, 28. Act. 10. v. 35.

Tt 2

Elt-